pore oportuno. id est dum in presenti seculo uiuit. hoc est enim oportunum tempus promerende uenie. de quo propheta
dominus dicit. Tempore accepto exaudiui te. et in die salutis adiuui te. quod exponens apostolus dicit. Ecce nunc tempus accepta
bile. ecce nunc dies salutis. Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non adproximabunt. Diluuio aquarum
multarum tempus dicit nouissimi iudicii. Sicut enim in tempore noe repente uenit diluuium et omnes perdidit. sic
dies domini subito et ex inpruiso ueniet quosque imparatos inuenerit. instar diluuii obruet. In hoc ergo diluuio
non approximabunt ad eum peccatores. qui ante penitendo et sua scelera confitendo sibi prouidere noluerunt. Aliter.
diluuium aquarum multarum appellatur error pessimorum hominum hereticorum uidelicet qui grauissimas tempestates
peruersorum dogmatum excitant in ecclesia. hi ergo quamdiu in hoc diluuio sunt. hoc est quamdiu in hac peruersitate uersan
tur ad deum appropinquare non possunt. a cuius ueritate longe discesserunt. Tu es refugium meum a tribulatione que cir
cumdedit me. Iam peccator confitens quandam spe animatur. confidentia loquitur ad dominum. Tu es refugium meum. Tu inquit qui es
iudex peccantis es refugium confitentis. ad te refugio. non ad munita presidia. non ad solitudines securissimas. Nec ad
humana auxilia. sed ad te quem offendi peccando. confugio penitendo. a tribulatione que circumdedit me. id est a temp
tationibus et periculis. et aduersitatibus seculi. Exultatio mea erue me. Dominum uocat suam exultationem. quasi iam fidei
deuotus. sed adhuc quasi timens et post temptationes dicit. Erue me a circumdantibus me. hoc iterum quod et apostolus com
prehendit dicens. Spe gaudentes. in tribulatione patientes. Erue me a circumdantibus me. hoc est a demonibus me
per peccatum captiuare querentibus. Intellectum tibi dabo et instruam te. Loquitur etiam ipse dominus et auxilium gratie sue pecca
tori ad se conuerso promittit. Ostendit autem hic neminem per se posse ad uiam uite redire. nisi deus det illi intellectum eumque
doceat. Dabo inquit tibi intellectum. ut requiras uiam iusticie instruam te. ne ingressus iter uite cadas in laqueum
perditionis. Firmabo super te oculos meos. hoc est respectum miserationis mee. ut inchoato bono opere ualeas permanere.
O culi enim domini respectum gratie et miserationis eius designant. quibus ad se uniuersos designatur respicere. et in boni operis
studio confirmare. Nolite fieri sicut equus et mulus. quibus non est intellectus. illis hoc dicitur. qui superius sua peccata defende
bant. In equis superbia. in mulis notatur luxuria. Monet ergo ne peccantes contra dominum equina erigantur superbia. Et quodam
modo recalcitrent defendentes peccata sua. Nec sicut mulus resoluantur libidine. que cecitatem mentis adducit. ut non intel
ligat homo malum quod facit. nec diuinum contra uitia imploret auxilium. Sane utrumque animal nulla ratione renititur. Sed e
quus omnem recipit sessorem. Mulus omne pondus sine ulla suscipit contradictione. Ideo quoque significant eos qui stulta dogmata
philosophorum suscipiunt. et secundum apostolum circumferuntur uento doctrine. Monet ergo dominus ne similes sint talibus animalibus
in quibus nullus est intellectus. In chamo et freno maxillas eorum constringe. Chamus est retinaculum muli uel asini. quod et lupatum
dicitur a similitudine dentium luporum. frenum uero est equi afero id est equi dictum. Vnde salomon frenum equo. et chamus asino. et
uirga in dorso eius qui indiget corde. Est autem uox filii ad patrem. O deus pater constringe maxillas eorum in chamo et freno. ubi
trinitas personarum ostenditur. Qui non adproximant ad te. id est qui sua peccata defendunt. siue qui tumentes superbia peccant.
et quasi recalcitrantes equi dominum a se repellunt. Maxillas autem constringi dicit. ut ora eorum obstruantur. ne contra dominum loqui
ualeant. Vel in maxillis orbos commu[?] percipit. ut constringantur eorum maxille. id est ut inedia et ieiuniis affligantur. quatinus
eorum superbia conteratur. et iam domiti onus christi suscipiunt. Multa flagella peccatoris. Manifestum est quia multa sunt fla
gella peccatorum qui in multis delinquunt. Quos quoque deus iccirco flagellat. ut eos ad se reuocet. et ab eterne mortis per
petue liberet. Sperantes autem in domino misericordia circumdabit. quia eos qui in domino spem suam ponunt. deus misericordia sua custo
dit. et ita undique circumdat. ut ex nulla parte temptationibus pateant. Si autem sperantes in domino misericordia circumdat.
claret illi de quibus dicitur multa flagella peccatorum. nequaquam in eo sperant. et ideo iuste multis atteruntur flagellis. Leta
mini in domino et exultate iusti. Peccator et confitens. quasi iam peracta penitentia de uenia presumens. hortatur secum ut letentur
et exultent in domino. Letari autem est animo gaudere. Exultare uero etiam gestu corporis gaudium animi demonstrare.
E t gloriamini omnes recti corde. Rectos corde dicit quos et iustos uocauerat. Neque enim iusti sunt nisi rectum et iustum cor habe
ant. hos ergo monet ut in domino glorientur. hoc est ut eum glorificent et laudent pro sua liberatione et salute.

Exultate iusti in domino. Totum hunc psalmum loquitur propheta. exhortans populum dei ut exultet domino et gratias
agat commemorans magnalia et beneficia dei. Exultate inquit iusti in domino. id est fideles. quoniam iustus ex fide uiuit.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 64 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/64)